



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

De Virtute Ac Sacramento Pœnitentiæ Decisiones

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio XXXV. Argumentum. Forma Sacramenti Pœnitentiæ, quæ est absolutio à peccatis, exactissimè explicatur. Plures quæstiones curiosæ, ac utiles circa illam resolvuntur. Quomodo peccata aliàs ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94661](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94661)

hæc adjungit: liber eris onere recitandorum trium Rosariorum, injunctorum tibi à tuo Confessario, si illa recites ex mera devotione: aut idco quod sis membrum Confraternitatis Rosarii; esto, dum evolvis globos Virgineos, expresse dicas: volo hoc psalterium hodie recitare, quia sum sodalis Congregationis. Nam executio operis satisfacit etiam sine intentione satisfaciendi. Secundus autem si illud opus exequaris tanquam debitum ex Voto. Gobatus *ibid.* num. 773. Et idem si aliàs de Præcepto, ut antea scripserat num. 748. & 749.

22 Quo ad Ultimum: Quærenti An satisfactio per Confessarium injuncta possit commutari? & à quo? In primis est advertendum inter ceteras Propositiones damnatas ab Alexandro VII. die 24. Septembris 1665. hanc num. 28. reperiri: Pœnitens propria auctoritate substituere alium potest, qui loco ipsius Pœnitentiam adimpleat. Ergo ipse Pœnitens non potest aliquam mutationem circa sibi injunctam pœnitentiam facere, sive ratione impotentia, sive ratione impotentia, sive ratione melioris boni, sive etiam gravioris pœnæ; non enim habet auctoritatem in Claves Ecclesiæ; & acceptando pœnitentiam à Confessario, contractum fecit cum illo, à quo non potest rescire; operaque alia non essent pars Sacramenti, nec satisfacerent ex opere operato; ut rectè dissertit Eminentiss. Card. de Lauræa d. disp. 22. à num. 220. & seq. Eminentiss. Cardin. de Lugo d. disp. 25. sect. 6. à num. 96. Salmanticenses d. tract. 6. cap. 10. num. 76. & Gobatus d. tract. 7. num. 774. ubi ait cavendum à Diana contrarium innuente part. 11. tract. 7. resol. 3. Quæ in Coordinato reperitur tom. 1. tract. 6. resol. 31. Idem verò Confessarius ex causa potest eam commutare, non repetita Confessione, si de priori memoriam saltem in confuso habeat. Gobatus *ibid.* num. 775. Non etiam alter, seu diversus Confessarius, nisi coram eodem priorem Confessionem pœnitens faciat, & justam causam alleget commutandæ pœnitentiæ; tunc enim poterit eam commutare. Eminentiss. Cardin. de Lugo d. disp. 25. sect. ult. Gobatus d. tract. 7. num. 776. Eminentiss. Cardin. de Lauræa d. disp. 22. §. 3. à num. 248. ubi num. 252. rectè advertit, excipendum esse, si prior pœnitentia fuisset injuncta pro reservatis; secundus autem Confessarius non haberet auctoritatem absolvendi ab illis, nam tunc ex defectu jurisdictionis neque priorem satisfactionem posset commutare. Quare cavendum est à DD. dicentibus, quemcumque alium Confessarium, etiam non audita præcedenti Confessione posse pœnitentiam commutare, quos cumulat Diana part. 2. tract. 15. resol. 53. existente in Coordinato tom. 1. tract. 6. resol. 25. & præcipue ab aliis, qui extendunt hanc facultatem, ubi prior pœnitentia injuncta fuisset pro reservatis; quibus videntur adhærere Salmanticenses d. tract. 6. cap. 10. num. 73. Sed minus probabiliter, & in hoc minimè admittendi, prout nec in illa assertionem, quod diversus Confessarius possit commutare, non audita præcedenti Confessione; quam opinionem proscribit etiam Palæus d. tract. 23. disp. Univ. §. ultim. num. 13. & ex antiquis Sotus in 4. dist. 20. quest. 2. art. 3. in fine, & Sylvest. Verb. Confessor. 1. quest. 27.

Tandem notandæ sunt duæ causæ excusantes ab adimplimento Pœnitentiæ. Una est impotentia Physica; ut si pœnitens deberet jejunare, vel dare elemosynam, & esset oppressus infirmitate,

te, vel paupertate; at hac causa cessante, teneretur illam adimplere. Averfa quest. 13. sect. 6. Salmanticenses d. cap. 10. num. 81. Altera est in casu impotentia moralis, ut si superior, vel Maritus prohibeat exequi peregrinationem, vel elemosynas. Palæus d. §. ult. num. 17. vel pœnitens sit omnino oblitus eandem pœnitentiam; idest crediderit, eam fecisse; nam sciens, non esse executum, & non recordans qualis fuerit, tenetur adire primum, vel alterum Confessarium, repetere præcedentem Confessionem, & obtinere novam satisfactionem. Bonacina de Pœnitent. disp. 5. quest. 5. sect. 3. punct. 3. num. 9.

DECISIO XXXV.

ARGUMENTUM.

Forma Sacramenti Pœnitentiæ, quæ est absolutio à peccatis, exactissime explicatur. Plures quæstiones curiosæ, ac utiles circa illam resolvuntur. Quomodo peccata aliàs confessa, & dimissa in nova Confessione iterum dimittantur, subtiliter examinatur, ac ostenditur. Mutatio formæ hujus Sacramenti an licite, & validè fieri possit? An liceat absolvere a peccatis sub conditione? Bulla Clementis Papæ VIII. de confitente per litteras, & absente non absolvendo, interpretata, ac declarata.

SUMMARIUM.

- 1 Forma Sacramenti Pœnitentiæ quanam sit?
- 2 An proferri possit nutibus, signis, vel scriptura?
- 3 Verba, In Nomine Patris, &c. an sint de ejus essentia?
- 4 Verba, Misereatur, &c. ac alia preces ante, & post formam absolutionis an possint omitti?
- 5 Censurarum absolutio in Confessionibus an omitti possit?
- 6 Crucis signum faciendum in absolutione à peccatis.
- 7 Forma absolutionis Sacramentalis sensus, & effectus.
- 8 Peccata jam confessa, & dimissa quomodo iterum dimittantur in nova Confessione?
- 9 Sententia plures super eodem delicto pronunciari possunt.
- 10 Cecilianus Episcopus Carthaginis, & S. Athanasius pluries absoluti à calumniis hereticorum.
- 11 Mutatio Verborum Formæ Sacramenti Pœnitentiæ an licite, & validè fieri possit?
- 12 Absolutio Sacramentalis sub conditione an valida?
- 13 Absenti absolutio Sacramentalis an possit impertiri? & num. 17.
- 14 Clementis VIII. prohibitio de absente Sacramentaliter non absolvendo.
- 15 Bulla Clementis VIII. an conjunctivè, vel disjunctivè, intelligenda?
- 16 Absolutio dari potest pœnitenti præsentem à peccatis per litteram manifestatis.
- 17 Casus duo curiosi circa absolutionem non datam ex oblivione.
- 18 Moralis presentia sufficit ad absolvendum pœnitentem.
- 19 Absolutio à Censuris etiam absenti datur.

IN

IN Sacramento Pœnitentiæ ad ejus essentiam, sicut in quocunque alio, requiritur *Materia*, & *Forma*. Hucusque actum est de *Materia*, tam remota, quæ est peccatum actuale commissum post Baptismum; quàm de *proxima*, consistente in illis tribus actibus pœnitentis, qui vocantur *Contritio*, *Confessio*, & *Satisfactio*; ut docuimus supra *Decif. XIII. num. 1.* ubi *num. 3.* addidimus, eandem materiam vel esse necessariam, nempe peccatum mortale, de quo nulla fuit facta Sacramentalis Confessio; vel esse sufficientem, scilicet peccatum veniale, aut etiam mortale, quod alia vice pœnitens ritè, ac rectè confessus fuit, juxta *Extravag. Inter cunctas. §. Cæterum. de Privilegiis*. Igitur, completa tractatione *Materiæ*, devenire debemus ad explicandam *Formam*, circa quam in præsentī *Decisione* videbimus.

Primo: Quænam sit *Forma* Sacramenti Pœnitentiæ.

Secundo: Quinam sit *sensus*, seu effectus ejusdem formæ.

Tertio: An sit licita mutatio Verborum formæ.

Quarto: An forma sit valida sub conditione.

Quinto: An absolutio Sacramentalis valide dari possit absenti.

Quo ad *Primum*. *Forma* Sacramenti Pœnitentiæ est: *Ego te absolvo à peccatis tuis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.* Sed circa essentiam omnium horum verborum variæ sunt Theologorum opiniones. Alii dicunt ea omnia esse de essentia. Ita Durandus in 4. dist. 22. quest. 2. Alii, quod illa verba *In nomine Patris, &c.* non sunt necessaria. Ita Gabriel in 4. dist. 14. quest. 2. Alii, quod hæc sunt merè essentialia: *Absolvo te à peccatis tuis*. Ita Major in 4. dist. 14. q. 2. Alii, satis esse dicere *Absolvo te*. Suarez disp. 19. sect. 1. relatis pluribus DD. num. 21. Alii de essentia esse etiam illa verba à peccatis tuis. Paludanus in 4. dist. 22. q. 3. & Petrus de Soto sect. 4. de Confess. quas omnes opiniones referunt Salmanticenses de Sacram. in genere, tract. 6. cap. 3. punct. 1. Et Eminentiss. Cardin. de Lauræa disp. 17. num. 80.

Ex his colligere debemus: *Primo*, quod forma Sacramenti Pœnitentiæ necessariò, & essentialiter consistit in verbis; idèò neque nntu, neq; signis, neq; scriptura exprimi potest; sicut nec in Baptismo, nec in consecratione Eucharistiæ, & aliorum Sacramentorum, excepto Matrimonio; & hoc ex Christi voluntate, ac institutione, ex praxi Ecclesiæ, Conciliorumque auctoritate, & præcipuè Tridentini sess. 14. cap. 3. S. Thom. 3. part. qu. 84. art. 3. ad 3. Scoti in 4. dist. 14. qu. 4. A. & dist. 16. q. 1. E. quem citat, & sequitur Emin. Card. de Lauræa disp. 17. art. 4. & alii plurimi apud Salmanticenses d. tract. 6. cap. 3. punct. 5. num. 30. & 31. Non me latet, contrarium esse opinatum Joannem Pontium apud Dianam part. 11. tract. 6. resol. 14. Quæ in Coordinato est tom. 1. tract. 4. resol. 16. Sed cum confutat Gobatus tract. 7. n. 166. *Secundo* colligere debemus, quod strictè loquendo prædicta *Forma* simpliciter, & essentialiter consistit in his duobus verbis: *Absolvo te*, ut pluribus argumentis probat Eminentiss. Cardin. de Lauræa d. disp. 17. art. 5. & præcipuè, quia Sacramentum Pœnitentiæ exercetur per viam iudicii; sed iudiciales Sententiæ possunt proferri dicendo tantum *Condemno te*; Vel *Absolvo te*; & hoc idem testatur caterva Scholasticorum, ac Mo-

Doct. Cleric. Tom. I. Lib. IV.

ralistarum, quos citant, & laudant Salmanticenses d. tract. 6. cap. 3. num. 1. Tertio colligere debemus, quod illa Verba à peccatis tuis, etsi rigore tenendo, si omitterentur, non destruerent *Formam*, tamen nunquam sunt omittenda, quia sic majori cum certitudine datur absolutio; nam non videtur improbabilis sententia Durandi, Gabrielis, & aliorum dicentium, ea esse de essentia. Salmanticen. ibid. num. 2. Quarto colligere debemus; quod verba, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti* non sunt de essentia *Formæ*, quia à Christo non sunt ordinata, prout ea ordinavit in Baptismo. S. Thom. 3. p. q. 84. art. 3. Eminentiss. Cardin. de Lauræa d. disp. 17. a num. 85. & seqq. Nihilominus absque urgenti causa non sunt omittenda sub pœna peccati venialis. Bonacina disp. 5. q. 4. punct. 1. etsi, secluso contemptu, neque veniale committi, si omittantur, tenent Valentia disp. 7. qu. 1. punct. 3. Sorus, Leander, & alii apud Salmanticenses ubi supr. num. 3. Quinto tandem debemus colligere, quod preces antecedentes, ac subsequentes ipsam *Formam*, nempe *Misereatur tui, &c. Indulgentiam, absolutionem, &c. Dominus noster Jesus Christus, &c.* Item *Passio Domini Nostri Jesu Christi, &c.* possunt pro libito Sacerdotis prætermitti, imò expedit, ea prætermittere in brevibus Confessionibus illorum, qui frequenter confitentur; & in longioribus, quando multi adsunt Pœnitentes. Sæpe Verb. Absolutio non, 1. Eminentiss. Cardin. de Lugo disp. 13. num. 9. Tamburin. de Exped. Confess. lib. 3. cap. 1. & Gobatus d. tract. 7. a n. 160. & seqq. ubi tria notatu digna scribit: Unum num. 162. quod ipse, discedente pœnitente absoluto *Forma* brevi, addit precatiunculam *Passio Domini Nostri, &c.* sequutus opinionem illorum, qui per eam putant omnia bona opera secutura pœnitentis elevari ad satisfactionem Sacramentalem, ut diximus supra *Decif. XXXIV. n. 18.* Alterum, quod innoxie potest omitti cum Laicis absolutio ab excommunicatus ante absolutionem à peccatis, quia ipsi ferè nunquam eam incurrunt, nisi in gravioribus casibus ipso jure, ut in percussione Clerici, vel Laici in loco sacro, & similibus. Egotamen brevioribus confessionibus ad cautelam dico, *absolvo te à Censuris, & à peccatis tuis. In nomine Patris, &c.* Quod si Laicus esset excommunicatus, dum confitetur, & Sacerdos omitteret eum prius absolvere à censura, quàm à peccatis, valeret absolutio à peccatis, si pœnitens ignoraret se esse excommunicatum, ut diximus, supra *Decif. XXXI. num. 9. & 10.* quia excommunicatus est incapax Sacramentorum solum modò, dum scit, & retinet affectum ad ipsa peccata. Ita Gobatus d. tract. 7. num. 164. & num. 168. & ibi Navarrus in Summ. cap. 9. n. 3. & Suarez de pœnit. disp. 31. Tertium dictum Gobati notabile est num. 165. quod in Germania Confessarii detecto capite absolunt Pœnitentes; at hoc non servatur in Italia; idèò quisque sequi potest usum suæ regionis; prout etiam alium usum imponendi manus super caput pœnitentium, quod ab aula recessit. Porro signum Crucis in danda absolutione esse omninò faciendum, quia omnia Sacramenta cum eo administrantur, ait Layman libr. 5. tract. 6. cap. 3. n. 8.

Quo ad secundum; in quo quæritur: *Quinam sit sensus, seu effectus ejusdem formæ*: Circa hoc quæsitum plures sunt responsiones, quæ dantur à Scholasticis, relatæ ab Eminentiss. Cardin. de Lauræa.

T 2

Lau.

Lauræa d. disp. 17. num. 140. videlicet, vel quod Sacerdos per verba Formæ Sacramenti Pœnitentiæ declarat pœnitentem esse à Deo absolutum à peccatis; sicut Sacerdotes Aaronici declarabant, leprosos esse liberatos à Deo à lepra; & ita sentit Magister Sententiarum in 4. disp. 18. c. 6. quem reprobat tam Scotista, quàm Thomista ejus discipuli. Vel quod Sacerdos liberat pœnitentem à peccatis, si accedit cum attritione; vel ab obligatione amplius subdendi clavibus, si cum contritione. Vel quod eum liberat à pœna æterna; quia si est contritus, Deus liberavit eum à culpa. Alii dicunt, quod significat liberationem à pœna temporali; vel quod demonstratur ministerium Sacerdotis vice Dei liberantis pœnitentem à culpa, à pœna æterna, & in parte à pœna temporali; & alii alia.

Pro clara intelligentia hujus quæstioni satis difficilis, tres casus sunt distinguendi. Primus est, quando pœnitens habens mortalia accedit cum attritione ad Confessionem, & ea confitetur. In hoc casu dum Sacerdos eum absolvit; sensus verborum formæ, & eorum effectus est, quod Sacerdos solvit pœnitentem à peccatis; & illa ei remittit, non principaliter, sed ministerialiter, id est tanquam minister, ac iudex delegatus à Deo; ideoque ipse Sacerdos vi clavium, & per verba formæ Sacramentalis delet culpam, commutat pœnam æternam in temporalem; concedit pœnitenti gratiam sanctificantem, & delet partem pœnæ temporalis. Ita S. Thomas 3. p. q. 86. art. 6. & colligitur ex Concilio Tridentino sess. 14. cap. 3. & seqq. quod latè probat Eminentiss. Cardin. de Lauræa d. disp. 17. art. 7. & disp. 18. art. 10, 11. & 12. & Salmanticenses d. tract. 6. cap. 2. n. 12. Secundus casus est, quando Pœnitens habens mortalia est verè contritus, & cum ipsa contritione accedit ad Confessionem, & confitetur peccata. In hoc casu, etsi jam culpa fuerit deleta, & gratia infusa; nihilominus quia id concessum fuit pœnitenti ob votum Sacramenti pœnitentiæ, verba formæ significant, quod Sacerdos virtute eorum clavium absolvit ipsum pœnitentem à peccatis, quorum remissionem meruerat per contritionem antecedentem; auget novum gradum gratiæ sanctificantis in ipso; & partem pœnæ temporalis delet. Idem Eminentiss. Cardin. de Lauræa disp. 8. art. 13. sub num. 150. Tertius casus est, quando Pœnitens accedens ad Confessionem non habet alia peccata sive mortalia, sive venialia nisi aliàs ab eo confessà, & per Sacramentalem absolutionem dimissà, & iterum illa confitetur; & ab eisdem iterum Sacerdos pœnitentem absolvit. In hoc casu dubitatur, quomodo vera sit forma Sacramenti, *Ego absolvo te à peccatis*; si peccata jam dimissà non sunt amplius peccata; & ubi nullum est peccatum, nulla possit esse absolutio. Iste casus difficilis adeò est, ut DD. in ejus responsione obscure loquantur, & non satisfaciant intellectui legentium. Gobatus d. tract. 7. num. 170. ait, hunc esse sensum formæ absolutionis: *Ego hac mea judiciali sententia confero tibi, si capax es, gratiam Divinam, quæ, quantum ex se est, vim habet dimittendi peccata quo ad culpam, & pœnam.* Suarez de Pœnitent. disp. 19. sect. 2. num. 20. ait: In hoc casu formam significare efficaciam absolutionis à peccatis, quantum est in se, non in actu signato, sed in actu exercito. Pariter Salmanticenses d. tract. 6. cap. 3. num. 7. respondent his verbis: *Quando ideo non remittuntur peccata, quia*

supponuntur remissà, satis est ad hoc, ut remitti verificetur, quod quantum est ex se, tum Sacramentum, tum minister, tum gratia Sacramenti remittant peccata, licet de facto per accidens non remittantur. Quemadmodum verba voti in renovatione, etiam si explicantur per verba: *obligo me ad faciendum hoc, aut illud, vera sunt, quamvis de facto de novo non inducant obligationem, quæ jam præsupponitur per aliud prius votum inducta.* Ecce obscuræ responsiones, quæ non satisfaciunt; nec dant intelligere, quomodo sicut ille, qui semel solutus fuit à vinculis corporeis, iterum accedens non potest cum veritate dicere, *absolve me à vinculis*, si vincula non habet: nec alius verè dicit, *Solve te*, si vincula non habeat, à quibus egeat ut solvatur; quomodo, inquam, qui jam fuit absolutus à peccatis, iterum absolvetur ab illis?

Ceterum, veritas est, quod Sacerdos absolvens pœnitentem confitentem peccata jam dimissà, verè eum absolvit. Pro intelligentia sciendum est id, quod docet Eminentiss. Cardin. de Lauræa disp. 17. art. 3. dum quærit: *Quomodo peccatum jam dimissum possit esse denuò materia circa quam in alio Sacramento Pœnitentiæ; videlicet quod in materiis judicialibus delicta, ex electione Rei, possunt subesse pluribus sententiis, sive facta nova perquisitione in causa, sive facta nova confessione, aut instantia ab ipsomet Reo.* Plura in Historiis de hoc habentur testimonia; nam, ut hæc pauca in medium afferam, Cecilianus Episcopus Carthaginensis, falsò calumniatus, & injustè condemnatus à Donatistis, appellavit ad Melchiam Papam, coram quo causam suam disputavit, & sententiam absolutionis obtinuit, ut refert Spondan. ad Annum Christi 313. num. 5. & 7. At iterum exagitatus super eadem causa in Concilio Arelatensi, iterum ab eodem fuit absolutus, Idem Spondan. Anno 314. num. 4. & 7. Eodem modo S. Athanasius variis calumniis ab Arianis impetitus causam suam agit Romæ coram Julio Papa, à quo absolvitur. Spondan. Anno 341. num. 13. Sed iterum provocatus ab Hæreticis super eisdem calumniis in Concilio Sardicensi, novam absolutionis sententiam reportat, & Sedi suæ restituitur. Idem Spondanus ad Annum Christi 347. num. 7. Igitur cum Sacramentum Pœnitentiæ sit institutum per modum iudicii, nihil prohibet, quod homo Christianus pluribus vicibus absolvetur ab eisdem peccatis, quamvis antea confessis, ac dimissis; siquidem peccata sunt materia remota hujus Sacramenti; proxima verò sunt actus pœnitentis, id est cordis contritio, oris confessio, ac operis satisfactio; & quotiescunque exhibetur materia proxima, & applicatur forma, conficitur Sacramentum; quamvis materia remota, quæ est objectum Sacramenti, aliàs fuerit exhibita, ut patet de aqua in Baptismate, & de oleo in Extrema Unctione: utrumque enim applicari pluries potest ad faciendum Sacramentum. Idcirco exhibente homine fidele materiam tum remotam, quæ est accusatio peccatorum antea dimissorum, tum proximam, quæ consistit in novo dolore, & nova Confessione, Sacerdos validè applicat formam, dicendo: *Ego te absolvo à peccatis tuis*; & hæc forma operatur effectum Sacramenti, quia licet non dimittat culpam, quæ non reperitur, (cùm fuerit remissà in priori Confessione) tamen auget novos gradus gratiæ sanctificantis, ac delet aliquam partem pœnæ temporalis, ut latius demonstrant

idem

idem Eminentiff. Cardin. de Lauræa d. *diff.* 17. art. 3. Eminentiff. Cardin. de Lugo *diff.* 13. *fecl.* 3. num. 73. & Maftrius in 4. *Sent.* *diff.* 5. q. 12. art. 1. qui exemplificant, accomparant abfolutionem Sacramentalem reiteratæ promiffioni, quam facit creditor debitori, de eo amplius non moleftando circa debitum, quod habebat. Nec currit fimilitudo de foluto à catenis corporeis, qui ab eis amplius folvi non poffunt; nam differunt Phifica à Moralibus. Poffunt itaque pluries abfolvi homines à peccatis, ut probat ufus Ecclefie; & docuit Benedictus XI. in *Extravag.* 1. de *Privileg.* quia datur femper infufio novæ gratiæ, & deletio partis pœnarum.

Quo ad Tertium Quæfitionem: *An fit licita mutatio Verborum Formæ*, Refponfio generalis eft, nulli licitum elle mutare Formam fupradictam abfolutionis Sacramentalis; & fi aliter fiat, peccatum erit morale; quilibet enim tenetur fervare ritum Ecclefie in formis Sacramentorum. Scotus in 4. *diff.* 14. *quæft.* 4. Eminentiff. Card. de Lauræa d. *diff.* 17. num. 139. Salmanticenfes allegantes alios DD. d. *tract.* 6. cap. 3. num. 13. Porro dari poffunt mutationes, quæ quamvis illicitæ, tamen effent validæ in forma hujus Sacramenti; & funt fequentes: 1. Si Confellarius dicat dignitatis fux gratia: *Nos abfolvimus te à peccatis tuis, &c.* Vel ob dignitatem Pœnitentis: *Abfolvo Veftram Dominationem, Veftram Excellentiam, Veftram Eminentiam, Veftram Majeftatem.* 2. Si non activè, fed paffivè loquantur, nempe *Tu abfolveris à peccatis tuis, &c.* 3. Si utatur modo imperativo: *Abfolvaris à me; five fubeo te abfolvi.* 4. Si dicat, *Remittuntur tibi peccata tua.* 5. E contra invalida erit abfolutio, fi dicatur *Utinam abfolvaris*, vel *abfolvat te Deus*, quia cum hoc Sacramentum fit institutum à Chrifto per actum judicium, non eft utendum verbis deprecativis, fed jurisdictionalibus. S. Thomas *Opufc.* 15. Neque obftat, quod in extrema Unctione remittantur peccata per illa verba deprecatoria, *Indulgeat tibi Dominus*, quia Sacramentum illud non fuit institutum in forma judicii. Ita Eminentiff. Cardin. de Lauræa d. *diff.* 17. art. 5. & art. 8. Eminentiff. Cardin. de Lugo *diff.* 13. *fecl.* 6. Salmanticenf. d. *tract.* 6. cap. 3. *punct.* 2. ubi num. 20. notant, femper effe peccatum mortale uti verbis dubiis in abfolutione; idemque docet Bonacina *diff.* 5. *quæft.* 4. *punct.* 2. num. 11. & ibi alii multi.

Quo ad Quartum: *An forma fit valida fub conditione*; Ad hoc quæfitionem quatuor dantur refponfiones. Prima eft: Condicio impoffibilis adjecta abfolutioni facit eam irritam, & invalidam, ut *Si fum omnipotens, abfolvo te*; *Si campanilis fe curaverit, te abfolvo.* Ratio eft, quia hæc impoffibilitas denotat, non effe intentionem abfolvendi in abfolvente; ficut ait Iuftinianus de Conditione impoffibili in ftipulante, quæ viciat ftipulationem, *Inftit. libr. 3. tit. 19. §. Si impoffibilis.* XI. & ibi Pacius in *Analyfi.* Secunda refponfio eft: Condicio de futuro adjecta abfolutioni eam nullam reddit; ut fi dicatur; *Ego te abfolvo, fi cras refitueris centum*; Vel, *fi intra mensem ingreffus fueris Religionem*; quia nullum Sacramentum poffet dari fub conditione de futuro, neque ejus effectus in fufpenfo valet remanere ufque ad impletam conditionem; fiquidem ante conditionis implementum Sacramentum non ponitur in effe, quoniam deeft intentio Miniftri, fine qua non fit Sacramentum; &

multò minùs ponitur in effe poft impletam conditionem; quia tunc neque exiftit forma, neque materia, fine quibus non poffet conftare Sacramentum. Salmanticenfes de *Sacramentis in genere, tract.* 1. cap. 7. *punct.* 6. & d. *tract.* 6. cap. 3. num. 23. ubi concordantes citantur; cum quibus fenfit Eminentiff. Cardin. de Lauræa d. *diff.* 17. n. 236. & feqq. Tertia refponfio eft: Condicio de præterito contingenti reddit invalidam formam abfolutionis; ut fi diceret: *Abfolvo te, fi Princeps dormivit*; vel, *Si pater tuus heri non peccavit*; aut, *Si Dux Mofcovie Anno præterito jejunavit.* Ita Eminentiff. Cardin. de Lauræa ead. *diff.* 17. n. 247. & feqq. ob plures rationes, quas ibi confiderat, fed præcipuè quia verba formæ Sacramentorum debent immediatè caulare id, quod fignificant. Sed verba abfolutionis cum conditione de re præterita contingenti non poffunt caulare fuum effectum ob incertitudinem, & contingentiam illius conditionis. Ergo reddit formam invalidam. Quarta tandem refponfio eft: Condicio de præfenti pofta in forma abfolutionis, fi in fe vera fit, prout à Confellario ponitur, non officit validitati Sacramenti, & ipfa abfolutio eft valida; fiquidem neque fufpendit fenfum, neque efficit aliud, quod obftare poffit valori abfolutionis. Idcirco fi Confellarius rationabiliter dubitat, an abfolvendus fit bene difpofitus quoad dolorem, propofitum, ac integritatem; vel fit præditus fufficienti ufu rationis ad peccandum; vel an ea, quæ pœnitens confellus eft, fint peccata, poffet abfolvere cum conditione, *fi capax es*; aut *fi ego poffum*. Bonacina d. *diff.* 5. *quæft.* 4. *punct.* 3. n. 1. Eminentiff. Cardin. de Lugo *diff.* 13. n. 107. Salmanticenfes ead. *tract.* 6. cap. 3. num. 21. & 22. atque Gobatus d. *tract.* 7. num. 268. & feqq. ubi num. 271. ulterius advertit, bene quidem effe, fi dicta condicio verbis exprimitur; ac in rigore fufficere, fi fola mente retineatur, & non folum explicitè, fed etiam implicitè, ac virtualiter; ex illo principio, quod omnis Sacerdos timoratus, dum incipit excipere Confelfiones, virtualiter intendit tale munus exequi juxta institutionem Chrifti, & permiſſionem Ecclefie; & per confequens cum in prædictis cafibus condicio de præfenti fit juxta Chrifti institutionem, ac Ecclefie intentionem, cenfetur virtualiter, & implicitè, dum abfolvit, abfolvere cum conditione, *Si tu es capax*; vel, *fi ego valide poffum*; quod notatu dignum effe ait Gobatus num. 272. ad tollendos ferupulos. Concordant DD. apud Dianam *part.* 10. *tract.* 11. *refol.* 55. Quæ in Coordinato reperitur *tom.* 1. *tract.* 4. *refol.* 23.

Quo ad Ultimum, in quo petitur, *An abfolutio Sacramentalis valide dari poffit abfenti*; Refpon-
detur negativè; tum ex intentione Chrifti Domini, qui lic instituit hoc Sacramentum, ut coram Sacerdote accufarentur peccata à pœnitente; & eidem præfenti per ipfum abfolutio daretur, ut denotant illæ particule, *Te abfolvo*, quæ innuunt utriusque præfentiam; & teftatur praxis univerſalis, ac inveterata Ecclefie; Layman. *lib.* 5. *tract.* 6. cap. 3. num. 9. Eminentiff. Cardin. de Lugo *diff.* 13. *fecl.* 6. & Bonacina *diff.* 5. q. 4. *punct.* 5. ubi alios refert; & Gobatus d. *tract.* 7. num. 287. tum ex Bulla 87. Clementis VIII. edita die 20. Junii Anno 1602. in qua hanc propofitionem: *Lucere per litteras, five per internunciam* 14

Confessario absenti Sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere; ad minus uti falsam, temerariam, & scandalosam damnavit, ac prohibuit: præcepitque sub excommunicationis pœna, ipso facto incurrenda, sibi que reservata: Ne deinceps ista Propositio publicis, privatisque lectionibus, concionibus, & congressibus doceatur, neve unquam, tanquam aliquo casu probabilis defendatur, imprimatur, aut ad praxim quovis modo deducatur. Ex quibus deducitur, quod in nullo casu licet, aut validdè dari potest absolutio Sacramentalis pœnitenti absenti.

Sed quoniam supra in Decis. XV, num. 26. dictum est, secundum DD. ibi citatos, supradictam Bullam prohibitivam esse intelligendam conjunctivè, non autem disjunctivè; itaut nulla sit Confessio facta per litteras Confessario absenti; & absolutio sit invalida transmissa per litteras ab eodem Confessario absente; concurrente simul, ac conjunctim absentia pœnitentis, & absentia Confessarii absolventis, secus autem dicendum sit, si disjunctivè sola Confessio sit facta absenti, seu per litteras; absolutio autem detur à Confessario præsentem, & superveniente ubi sit pœnitens, cujus peccata per litteras intellexerat, ut tenet novissimè Mastrius, Theologus non frustra figens pedem in opinionibus, quas amplectitur, disp. 5. de Pœnit. num. 473. & 474. & Diana Coordinatus tom. 1. tract. 3. resol. 74. desumpta ex part. 11. tract. 7. resol. 30. hæc, inquam, distinctio videtur pati difficultatem ex his, quæ scribunt Salmanticenses d. tract. 6. cap. 3. n. 26. videlicet Paulum V. die 14. Julii 1605. Romæ in Congregatione Sancti Officii declarasse, eam distinctionem non subsistere, & mentem Clementis VIII. fuisse, quod confessio, & absolutio inter absentes illicita sit, & invalida tam conjunctivè, quam disjunctivè.

Nihilominus, salvo meliori judicio, in disjunctiva acceptione duo casus sunt distinguendi. Unus, quando ex urgente causa per litteras manifestata sunt Confessario absenti peccata; qui eis intellectis se confert ad locum, ubi est ipse pœnitens, qui scripsit, & per nutus, aut aliud signum notum Confessario ratificat accusationem prædictarum suarum culparum; & sic Confessarius præsens impertitur eidem pœnitenti Sacramentalem Confessionem: in hoc casu validam, ac licitam esse absolutionem, & non comprehensum esse hunc casum in prohibitione Clementis VIII. neque in declaratione Pauli V. est dicendum juxta doctrinam Mastrii in 4. disput. 5. num. 473. & 474. ac Dianæ part. 11. tract. 7. resol. 30. Quæ in Coordinato est tom. 1. tract. 3. resol. 74. qui hunc casum accidisse testatur in Anglia, tempore persecutionis Catholicorum; dum eorum unus in odium fidei damnatus ad mortem, & prohibitus coram Sacerdote confiteri peccata sua, ea per litteras manifestavit Confessario, rogavitque sub incognita veste, se constituere penes scalam patibuli, in cujus ascensu patiens, & pœnitens innuisset oculis prædictam suam Confessionem; & ipse Confessarius submissa voce largiretur ei Sacramentalem absolutionem; prout factum fuit. Alter casus disjunctivus est, quando Sacerdos audit præsentialiter Confessionem pœnitentis, sed eo inabsoluto discedit; deinde post diversos dies, vel horas, per litteras, vel internuncium, vel etiam ore proprio, sed absens absolvit prædictum pœnitentem à peccatis antea auditis. In hoc casu il-

licita, & invalida est absolutio, juxta declarationem Pauli V. & de hoc casu se loquuntur Salmanticenses d. tract. 6. cap. 3. num. 26. & 27. ut defumitur ex eorum verbis, quæ sunt ista: *Illam particulam, Et, non solum sumendam esse copulativè, sed etiam divisiivè; itaut qualibet pars seorsim damnata sit; & ita absolutio collata absenti, sive Confessio facta sit Sacerdoti præsentem, sive absenti in nullo casu liceat; ac proinde in nullo casu valida sit.*

Juxta hanc distinctionem reperio respondisse Patrem Gobatum ad sequentes sibi propositos casus. Frobenius excipit Confessionem decumbentis lethaliter in lecto, qui nondum habita absolutione Sacramentali disserit de suo testamento. Completo sermone, Confessarius oblitus eum absolvere, discedit; distans per viginti passus ab ædibus decumbentis recordatur non impertitæ absolutionis. Eodem in loco se obvertit veritus domum infirmi, & pronunciat formulam absolutionis, dirigens eam mente sua ad infirmum. Requisitus P. Gobatus, an validdè fuerit absolutus? respondit d. tract. 7. n. 284. negativè. Et quidem optimè respondit, quia absolutio data ab absente est invalida juxta supradictam distinctionem circa Bullam Clementinam, & declarationem Pauli V. vetantis dari absolutionem ab absente, etsi præsentialiter Sacerdos audierit Confessionem. Alter casus P. Gobato propositus fuit: Mulier gravida, communicatura die dominico confitetur in Ecclesia Parocho suo, & inter alia peccata, unum, quod dubitabat esse lethale, enuntiavit: at illud mortale esse demonstravit Parochus multis rationibus; quarum causa oblitus absolutionis, statim celebraturus accedit in Sacristiam, deinde ad Altare. In medio Missæ recordatur, se non absolvisse mulierem illam; quam propterea post Sacerdotis communionem, appropinquantem ad Altare, antequam eam communicaret, submissa voce absolvit. Interrogatus P. Gobatus, an validdè? respondit d. tract. 7. num. 292. affirmativè. Ratio fuit, quia præsentem pœnitenti potest impertiri absolutio etiam de peccatis antea auditis, vel manifestatis juxta Doctrinam Mastrii d. disput. 5. num. 473. & 474. imò idem Gobatus d. tract. 7. num. 289. & 290. asserit, in casu non datæ absolutionis pœnitenti personaliter confesso, posse eundem absolvi, si obvius venerit, post quinque, aut sex horas; ac etiam post quinque, aut sex dies; quamvis ingenuè fateatur, tutius esse monere pœnitentem de absolutione non data; & hortari, ut genuflectat, & eam accipiat, potissimum si timor sit, quod post illam Confessionem lapsus fuerit in aliquod mortale nunc exprimendum, Et hæc omnia esse facienda, cessante omni periculo scandali, aut gravis detrimenti ipsius Confessarii; qui de eo dubitans probabiliter poterit, ut dictum est, obvium suum pœnitentem inabsolutum absolvere; quia satis est ejusdem præsentia. Eminentiss. Cardin. de Lugo disp. 22. num. 51.

Porro non ignorandum, non esse necessariam præsentiam physicam, sed sufficere moralem; 18 quam talem esse dicit Bonacina disput. 6. quest. 7. punct. 6. num. 2. de Pœnitent. Sacramento, si pœnitens à Confessario videri possit, vel non distet ultra viginti passus; quæ assertio non placet Tamburino de Sacramento Pœnitentia libr. 5. cap. 2. num. 11. dicens, requiri, quod pœnitens possit audire Con-

fess-

feffarium loquentem communi voce, seu aliquantum altiore. Utramque tamen opinionem approbat Gobatus d. tract. 7. num. 288. docens, quid agendum, quando pœnitens confessus, & recepta pœnitentia, dum Sacerdos incipit pro eo absolviendo *Miserere tui, &c.* velociter discedit à sede Confessionali, (ut sæpè faciunt rudes, seu rustici homines) & ab Ecclesia egreditur? Convenit in hoc casu cum alta voce revocare, ut genuflectat imponere, & sic genuflexum ad pedes Confessarii absolvere. Sed si Confessarius stipatus sit magna pœnitentium caterva? Tunc juxta Bonacinam, si nondum se absentavit ultra viginti passus, proferenda est in eum abeuntem absolutio. Ita Gobatus d. num. 288.

Tandem advertendum, hanc præsentiam physicam, vel moralem non requiri pro absolutione 19 ab excommunicatione, aliisve censuris, quia hæc etiam absentibus potest impertiri; ut absque habitatione docent Suarez de Pœnitent. disp. 32. sect. 6. num. 3. Eminent. Card. de Lugo disp. 22. num. 51. & Gobatus d. tract. 7. num. 286. quos damus intelligendos puto de absolutione in foro exteriori, in quo Judex Ecclesiasticus absolvit reum absentem à censuris, instante ejus Procuratore; secus autem in foro interno, ac pœnitentiali, in quo ex supradictis requiritur præsentia physica, aut saltem moralis Pœnitentis.

DECISIO XXXVI.

ARGUMENTUM.

Solum Sacerdotem esse Ministrum Sacramenti Pœnitentiæ in hac Decisione firmatur. Eiusdem Ministri quatuor necessaria requisita exponuntur; Probitas, Scientia, Prudentia, ac Justitia; & enucleantur varæ Quæstiones in eorundem requisitorum declaratione. Præcipuè an Confessarii teneantur monere Superiores, quorum Confessiones audiunt, de eorum notoriis defectibus, vel suorum Ministrorum; Utrum debeant ipsi restituere, si non inculcaverint pœnitentibus onus restitutionis? An opinio Confessarii prævaleat opinioni pœnitentis? Probabilitatis tractatus confusi, & incerti.

SUMMARIUM.

- 1 Minister Sacramenti Pœnitentiæ est solus Sacerdos.
- 2 Confessarii requisita necessaria quinque.
- 3 Probitas, idest status gratia necessarius in audiente Confessione.
- 4 Scientia quæ, & quanta requiratur in Confessario?
- 5 Prudentia Confessarii quæ, & quanta esse debeat?
- 6 Interrogandorum pœnitentium documenta octo.
- 7 Justitia in Confessario requiritur, ut pœnitentem Confessum absolvat.
- 8 Instruere pœnitentem quando debeat Confessarius? Et de quibus?
- 9 Superiores monendi à Confessario de eorum notoriis defectibus; & Cardin. Baronii exemplum.

20 Restituere an teneatur Confessarius, qui non obligavit pœnitentem ad restituendum?

11 Confessarius an teneatur sequi opinionem pœnitentis?

12 Probabilitatis tractatus omnes confusi.

Restat, ut de Ministro Sacramenti Pœnitentiæ differamus; & de requisitis, ac qualitatibus ejus, sive ad illud validè ministrandum; sive licitè. Ministrum hujus Sacramenti esse solum Presbyterum, ordine Sacerdotali ritè, ac rectè insignitum diximus, ac probavimus supra Decif. XVIII. à num. 9. & seqq. ubi ostendimus, quòd si quis vellet confiteri Laico peccata sua, ut ab eo reciperet absolutionem, incideret in hæresim Lutheranorum; & quicumque non promotus ad ordinem Presbyteratus præsumeret audire Confessionem Sacramentalem alterius, & illum absolvere à peccatis, puniendus esset tanquam hæreticus in Officio S. Inquisitionis per Constitutionem 21. Gregorii XIII. quia est de fide, quòd solus Sacerdos potest esse minister Sacramenti Pœnitentiæ, ut definitum est in Concilio Constantiæ in Bulla Martini V. in Florentino in Decreto Eugenii IV. & in Tridentino sess. 14. cap. 6. & Can. 10. & testantur testimonia Patrum, quos cumulat Eminentiss. Cardin. Bellarminus libr. 3. de Sacram. Pœnitentiæ, qui ab exordio nascentis Ecclesiæ agnoverunt, absolutionem Sacramentalem esse actum, seu exercitium potestatis Sacerdotalis; idcirco bene infert Eminentiss. Cardin. de Lugo eod. tract. disp. 18. sect. 1. & nos innuimus supra Decif. XIX. num. 31. eum, qui verè non accepisset in sua ordinatione ad Sacerdotium potestatem ab Episcopo consecrandi Corpus, ac Sanguinem Christi, offerendique Sacrificium, sive per defectum materiæ, sive per defectum formæ, aut quemcumque alium; postea non recipere validè potestatem absolvendi, per illa verba: *Quorum remisistis peccata, remittuntur eis, &c.* sed debere repeti ordinationem quo ad utramque potestatem; quia esse non potest minister Sacramenti Pœnitentiæ, nisi solus Sacerdos; non est autem Sacerdos, qui non habet potestatem offerendi Sacrificium; quod notant etiam Salmanticenses de Sacramentis tract. 6. cap. 11. num. 2.

Porrò in Sacerdote non excommunicato, non suspensio, & non interdicto quinque requisita concurrere debent, *Probitas, Scientia, Prudentia, Justitia, ac Approbatio*; prima quatuor, de quibus in præsentì Decisione agemus, necessaria sunt ad licitè ministrandum hoc Pœnitentiæ Sacramentum; quintum verò, de quo in Decisione sequenti, ad validè conferendum.

Probitas requiritur in Sacerdote ministrante Sacramentum Pœnitentiæ, idest status gratiæ, & quod ipse non sit in peccato mortali. cap. Remissionem 1. quest. 1. cap. Odi, & projecit. 24. quest. 1. alias illicitè administrat, & quòd ad se sacrilegium committit, etsi validè absolvat pœnitentem; scriptum est enim in Psal. 100, *Ambulans in via immaculata hic mihi ministrabat.* Disputant verò Theologi, an Confessarius debeat esse in statu gratiæ, dum incipit audire Confessionem alterius; vel sufficiat, quando audita Confessione vult ei impertiri absolutionem Sacramentalem? Alii volunt, ipsum non peccare mortaliter audiendo Confessionem in peccato mortali, dummodo habeat propositum pœnitendi, & reponendi se in statu gratiæ per actum veræ contri-

tio-